

*Curavit multos
qui vexabantur variis languoribus.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 29-39

In illo témpore:

- ²⁹ Egređientes Iesus et discípuli eius de synagóga
venérunt in domum Simónis et Andréæ
cum Iacóbo et Ioánne.
- ³⁰ Socrus autem Simónis decumbébat febrícitans;
et statim dicunt ei de illa.
- ³¹ Et accédens elevávit eam apprehénsa manu;
et dimísit eam febris,
et ministrábat eis.
- ³² Véspere autem facto,
cum occidísset sol,
afferébant ad eum omnes male habéntes
et dæmónia habéntes;
- ³³ et erat omnis cívitas congregáta ad iánuam.
- ³⁴ Et curávit multos, qui vexábantur váriis languóribus,
et dæmónia multa eiécit
et non sinébat loqui dæmónia,
quóniam sciébat eum.
- ³⁵ Et dilúculo valde mane surgens
egréssus est et ábiit in desértum locum
ibíque orábat.
- ³⁶ Et persecútus est eum Simon et, qui cum illo erant;
- ³⁷ et cum invenísset eum,
dixerunt ei:
«Omnes quærunt te!».
- ³⁸ Et ait illis:
«Eámus álibi in próximos vicos,
ut et ibi prædicem:

ad hoc enim veni».

³⁹ Et venit prædicans in synagógis eórum
per omnem Galiléam
et dæmónia eiciens.

Verbum Dómini.